



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1635. usque ad annum 1643

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 9011888X**

§. 33. Alius fanaticus Impostor in Borussia capitali sententia damnatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67406](#)

Sæc. XVII. vero post acre trium horarum certamen  
A. C. 1636. Ecclesia occupatur, repressoque rebel-  
lium impetu, necnon Rustico hujus  
seditionis Auctore, ejusque scorto ca-  
ptis, ceteri ferme omnes jugulantur.  
Tandem instructis in reos judicii actis  
hic fanaticus Linzium deductus, ibi  
dem securi percussus est, capite ad  
urbis portam affixo. Hunc denique  
exitum habuit infelix ille Lutheri re-  
formantis imitator, in hoc tamen solo  
felicior ipso suo Protoparente, quod  
sincera scelerum suorum accusatione  
facta, ejoratisque erroribus in Catho-  
licæ fidei professione obierit, satique  
pœnitens melius animam egerit, quam  
vitam.

### §. XXXIII.

*Alius Fanaticus Impostor in Borussia  
capitali sententia damnatus.*

Jæger.  
*Hist. Eccl.*  
*l. 6. c. 8.*  
Brachel.  
*Hist. temp.*  
*iib. 5.*

Hoc item anno apud Regio-montem  
in Borussia novus exurrexit fa-  
naticus Propheta, qui haud contentus,  
quod se ad revocandam Evangelii po-  
ritatem a Deo vocatum spargeret, in-  
super sibi a septem Angelis manifes-  
tatum suisse mentiebatur, se eo fine in  
terram venisse, ut Dei Patris Personam  
in carne exhiberet, & sæculares Ma-  
istratus in vîrga ferrea compesceret,  
hanc.

hancque in rem duodecim fidei articu- Sæc. XVII.  
los promulgare jussus esset. Erat is A.C. 1636.  
Jannes Adelgreiffius, qui Hebraicam,  
Græcam, Latinam, Polonicam, Li-  
thuaniam, & Curlandicam calleus lin-  
guam, in verba singula errorum fu-  
nos & mendacia venditabat, tot de-  
cipitis insidiosa, quot simplices aures  
nancisceretur: ut vero somniis suis a-  
post rude vulgus fidem faceret, variis  
seri, cæloque præstigiis dæmonis ope-  
ratris incautorum mentes, & ani-  
mas & salutem oppugnabat. Igitur  
ad Magistratum delatus, & in viacula  
conjectus, cum non modo harum frau-  
dum, & veneficiorum, sed & plurium  
infuper adulteriorum reus cognoscere-  
tur, ad mortem damnatus est. Ille  
autem hanc sententiam vultu ad hilari-  
tatem risumque composito exceptit,  
identidem affirmans, se tertia post die  
resurrectorum a mortuis: ut ergo hic  
fanaticus ad supplicii locum deductus  
faltim terrore mortis ad saniora redu-  
ceretur, carnifex cuncta supplicii in-  
strumenta ejusdem oculis exposuit:  
perstitit ille nihilosecius in asseveratio-  
ne, frontis, orisque ferrea contumacia  
contestatus, mortem, nisi quamdiu  
voluerit, contra se, utpote Deum haud  
prævalituram: cum ergo nulla pœni-  
tentiae spes esset reliqua, carnifex die  
unde-

Sæc. XVII. undecima Octobris huic impostori cer.  
A.C. 1636. vices abscidit, & truncum in rogam  
projicit, flammis absumendum, cuius  
anima mox ad acerbiora supplicia, &  
diuturniora esset translata.

## §. XXXIV.

*Tiberii Muti Cardinalis obitus.*

*Ciacon. in  
vita Pauli V.  
pag. 435.* Ex Purpuratis, qui hoc anno extre-  
mum egerunt diem, nonnisi duo  
occurrunt, quorum prior erat Tiberius  
Mutus patria Romanus, & Paulo V.  
affinis. Hic ab eodem Pontifice Viter-  
biensis, & postea Tusculanus Antiles,  
ac demum Cardinalis Presbyter renun-  
tiatus, Ecclesiam Sponsam suam semel  
sibi concreditam nunquam reliquit, sed  
per viginti quinque annos assidua fo-  
vit præsentia, summoque gregis sui  
proventu perlustravit, habitaque Sy-  
nodo tam Clerum, quam populum  
verbo, legibus, & exemplo pavit.  
Quamvis vero oppido tenues possideret  
facultates, non modo tamen suam di-  
gnitatem sat honorifice sustinuit, sed  
etiam in pauperes largas effudit opes.  
Tandem restaurato Episcopali Palatio  
annos natus septuaginta duos die de-  
cima quarta Aprilis rebus humanis  
aledixit, in sua Cathedrali tumulatus.

## §. XXXV.